



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Septem Illustrium Virorum Poemata

Amstelodami, 1672

Ad Nicolaum Heinsium, & Lucam Langermannum, Româ Florentiam
discedentes, An. M.DC.LII. 3. Kal. Julii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11215

A D

NICOLAUM HEINSIUM,

& Lucam Langermannum, Româ Florentiam
 discedentes, An. M. DC. LII. 3. Kal. Julii.

Nobile par Juvenum, soboles præclara parentum,
 Candida Theſei biga ſodalitii;
 Quàm lætus fuit ille dies, quàm riſit amico
 Lumine, vos primus quò mihi junxit amor!
 Quò tres una domus cepit, facilesque Camcena
 Juſſerunt Charitum neſtere lege manus.
 Ille dies rerum dominam mihi cernere Romam,
 Et quicquid priſcæ rudera laudis habent;
 Ille Quirinales accedere Principis arces,
 Chiſiadæ Muſis præſidioque frui;
 Ille dedit Latia mirari flumina Suadæ,
 Ille dedit veſtræ carmina mentis opus.
 Langermanne, tibi totas indulſit Athenas
 Græcia, delicias & tibi Roma ſuas;
 Et quicquid Venerum formoſo vertice Pindus
 Poſſidet, ac ſacris Cyrrha propinat aquis.
 At Te, quid patrii ditiffime numinis heres,
 Heinſiade, Batavi gloria magna ſoli,
 Quid dicam numeroſa tuas in carmina vires?
 Quid celebrem Clario pectora fœta Deo?
 Niliacus rugas jam toto corpore Vates
 Exuit, & calamo barbara menda tuo.
 Jam quoque Pelignus tenerorum luſor amorum;
 Ut niteat, ſimilem ſperat & optat opem.

Jam

Jam Sueonum laudata favet Christina Poëta,
 Aönii columen delictumque chori.
 Se minor illa tibi septem diadema Trionum
 Inclinat, plectris & sua scepra tuis.
 Maxima Gustavi si tanti filia Regis
 Te facit, ac citharæ vis rapit illa Deas;
 Heinsiae nostros mirari desine plausus,
 Et, mea quos dictat Calliopeia, modos.
 Te mihi notus amor Phœbi, te gratia fandi
 Conciliat, magni quod Patris instar habes;
 Non ut amare tuæ non possim mentis acumen,
 Et cultum variis artibus ingenium.
 Sed quid amo? fortuna diu vetat esse beatum;
 Et, quæ prima dedit gaudia, prima necat.
 En prius optato coalescere cœperat usu
 Noster amor, nostri Maius amoris erat;
 Cùm fugitis, dilecta cohors, cùm verna voluptas
 Omnis, & in primo spes mihi flore perit.
 Et tot delicias, & tot rapit una lepores
 Hora nimis studiis insidiosa meis.
 Ergo nec antiquo Tarpeia cacumine rupes
 Ardua, nec reliquis tot monumenta jugis;
 Nec vos Roma recens, nec quæ nova surgit in altum
 Pyramis, & largas ejaculatur aquas;
 Nec præceps Anio, nec amœni Tiburis horti,
 Tuscula blanditiis nec tenet aura suis?
 Nec tot amicorum lacrimæ, Vatumque querelæ,
 Nec tot propositum vota morantur iter?
 Ah fortunato nimum Florentia cælo
 Vos trahit, & Tuscis allicit Arnus aquis!
 Scilicet illa viæ fastidia vincit & auræ;
 Et desiderio mitigat astra sui:

Nec patitur valuisse preces, nec amica dolentum
 Signa, nec humentes pondus habere genas.
 Ah precor, & Superi saltem pia vota secudent!
 Quando meas surdâ temnitis aure preces.
 Auspiciis, precor, ite bonis, & numine dextro
 Per juga, Flaminîâ per loca plana viâ:
 Sic precor, & vobis volucer Cyllenius adsit,
 Et melius virgâ, vel pede signet iter.
 Sic Apennini subsidant culmina montis;
 Aut tollat Vates Pegasis ala duos.
 Sic precor: umbrosæ veniant ad tempora lauri,
 Frondibus & calidos frangat oliva dies;
 Et Zephyrus blandis permulceat ora susurris,
 Et levis intonfas ventilet aura comas:
 Et Satyri ludis, & euntibus obvia plaudat
 Naiadum pulchris juncta Napæa choris:
 Sic precor; incolumes patriæ Florentia tandem
 Reddat, & oblitos non velit esse mei.

ALEXANDRO VII
 PONT. OPT. MAX.

*Villam Barberinam, Domitiani olim Caesaris Al-
 banum, ubi quotannis Quinquatria fiebant
 Minervæ, animi causâ invisenti, anno
 M. DC. LVII, Idib. Maii.*

Hic ubi porticibus se Flavia villa superbis
 Æquabat summis ardua sideribus;
 Et nemus hinc, Scythicæ non mitia regna Dianæ,
 Illinc Tyrrhenas prospiciebat aquas: